





1739, 27.

PROCANCELLARIVS
CAROLVS OTTO RECHENBERG

SOLEMNIA

IN AVGVRALIA

CANDIDATI NOBILISSIMI

IOAN. GOTTFRIED SIEBERI

DIE XII. MART.

CELEBRANDA

INDICIT.

Summum igitur, quod in rebus humanis morum
 legumque grauitate pariter ac potentia fastigi-
 um res Romana attigit, non nisi excellentia ac
 magna exempla omnis generis institutorum posteris
 monstrauit. Qui igitur olim singulari disserta-
 tione de *Compendiis Principis ex Iure Romano ad Ha-
 bitum Territoriorum Germanicorum* accuratiorem
 Iuris regii circa bona ciuium cognitionem Romanis
 fuisse compertam probaui, priuati Iuris argumentum
 eodem consilio iam memorabo, in quo stabiliendo,
 cum variae sanctiones Rerum publicarum periculum
 saepius fecerint, prima Romanae Reipublicae insti-
 tuta hac in re neminem fuisse intuitum, miror. Cum
 enim rescandarum litium, et coercendi ad agen-
 dum pruritus praecipua cuiusuis ciuitatis cura esse de-
 beat, diu tamen multumque Iurisprudentiam consul-
 tatoriam exercuit, parum in posterum quoque pro-
 fectura, nisi formidine mali simul proposita, vel na-
 sciturae adhuc lites in sua origine statim oppriman-
 tur, vel iam natae quoad ambages, et tempus ex-
 trahendum, praescindantur. Hinc vltimi potissi-
 mum generis incommodo medendo poenae proposi-
 tae, vt qui temere litem protraherent, pertinaciae
 aut malitiae poenas conuicti darent, et pecuniae, vt
 vocant, *in casum succumbentiae* deponendae dispen-
 dio mulctarentur. Quanto vero satius est, malum
 quod imminet, ab initio auertere, quam semel ad-
 missum, demum propulsare, tanto rectius quoque pri-

priscis Romanorum institutis visum est, in ius ruen-
 tem sub ipsum litis exordium amittendae pecuniae
 iactura auocare, quam ambages coeptae litis ne im-
 mortalis fiat, multa cohibere. Nam, cum ea ho-
 minum ut plurimum sit indoles, ut menti recti con-
 sciae et existimationi pecuniam haud raro antepo-
 nant, quos nec religio nec pudor a litibus reprime-
 bat, pecuniae iactura, quam aleae exponerent,
 reprimere videbatur. *Hinc qui petebat, et qui infi-*
ciabatur, de aliis rebus uterque quingentos aeris ad
pontificem deponebat, de aliis rebus item certo alio le-
gitimo numero assum. *Qui iudicio vicerat, suum sa-*
cramentum a Sacro auferebat, victi ad aerarium redi-
bat. VARR. de Ling. Lat. IV. 36. Quod plenius
 adhuc FESTVS declarat: *Sacramentum, inquit,*
aes significat, quod poenae nomine penditur, siue eo
quis interrogatur, siue contendit: id in aliis quingen-
torum inter eos, qui in iudicio inter se contenderent.
Qua de re L. Papinii Tribuni plebis sanctum est his
verbis: Quicumque Praetor posthac factus erit, qui
inter ciues ius dicet, tres viros capitales populum ro-
gato; atque tres viri capitales, quicumque posthac facti
erunt, sacramenta exigunt, indicantoque, eodemque
iure sunt, uti ex legibus, plebisque scitis, exigere,
iudicare esseque oportet; Sacramenti autem nomine aes
illud dici coeptum est, quod et propter aerarii inopiam,
et Sacrorum publicorum multitudinem consumebatur in
rebus diuinis. Qui igitur primum prouocabat, et
Petitor vocabatur, ubi eum a quo petebatur, aut in-
entionem, aut rationem intentionis suae inficiantem

audiebat, sacramenti sponsione rogabat, *ni ita esset*; qui prouocabatur sacramento contendebat, et petiorem seu prouocantem vicissim prouocabat; hoc modo in intentione: *Quando negas hunc seruum meum esse, sacramento te quinquagenario prouoco: Spondesne quingentos, si meus sit?* Cui reus: *Spondeo, si tuus sit*; et si sponsionem recusabat, litem amittebat: Iudex restipulans rogabat: *Et tu spondesne quingentos, ni tuus sit?* cui petitor: *Spondeo, ni meus sit.* In ratione vero intentionis hoc pacto: *Aio hunc seruum meum esse, quia ex ancilla mea natus est*: cui reus: *nego tuum esse, quia ex ancilla tua natus non est*: Tum petitor, *Spondesne quingentos, si ex ancilla mea natus sit?* Reus: *Spondeo, nisi ex ancilla mea natus sit*: CAR. SIGON. de Iudic. I. 21. Ex euentu sacramentum hoc iustum iniustumque pronunciabatur, teste CICERO, pro dom. ad Pont. c. XXIX. *Si decemviri sacramentum in libertatem iniustum iudicassent, et pro Caecin. c. XXXIII. cum Cotta decemviris religionem inieciisset, non posse sacramentum nostrum iustum iudicari.* Sicuti vero sacramenti summa L. et D. assibus pro rerum, de quibus contendebatur, modo ex lege statuebatur, ita sponsiones aliquando maiore minorive summa siue legum taxatione, siue contententium arbitrio fiebant. Cum enim pecunia certa peteretur, sponsio ex lege tertia parte fieri solita, quod ex CICERONE colligitur, qui cum pro *Q. Roscio* c. IV. dixisset, *pecunia Tibi debebatur certa, quae nunc petitur per iudicem*

dicem, in qua legitimae partis sponsio facta est, tandem subiicit, Pecunia petita est certa, cum tertia parte sponsio facta est. Pro modo enim litis sponsiones huiusmodi fieri solitas, mulieris verba indicant
 in P L A V T. *Menaech. IV. 2. 25.*

----- aut plus

Aut minus, quam opus erat multo, dixeram

Controversiam, ut sponsio fieret.

Quid ille? quid? praedem dedit.

Differebat igitur sacramentum a poenis legitimis sponsionum, ut illud semper deponeretur, et pro parte ad aerarium rediret, ac sacris peragendis impenderetur: hae vero sine depositione quoque obtinerent, et pretio illarum victoris indemnitati confuleretur; illud publicum, hae priuatum pignus haberentur. Quae omnia, an ex Atheniensium Republica in Romanum forum recepta sint, an proprio instituto debeantur, quodammodo ambigi posset. Sane Athenis ab iis, qui in Iudicio Heliastico de iure experiri vellent, deponendae erant certae summae pecuniae, quarum aliam *παραστάσις*, aliam *ἐπιβεβηκται*, aliam *πρυτανεία*, aliam denique *παραναλαβολήν* vocabant. Prytanea vero SIGONIVS *de Rep. Ath. L. III. c. IV.* pecuniam fuisse EXPOLLVCE *lib. VIII. Onomast. Segm. XXXVIII.* et HARPOCRATIONE probat, quam ante iudicium actorem & reum deponere oportuit, ut qui victus esset, pro utroque iudicibus persolueret, morisque fuisse addit, ut qui de summa centum drachmarum vsque ad mille contenderent,

VI

tres drachmas deponerent; qui de mille, vsque ad decem millia, triginta: Et SVIDAS VOC. *περαιωσία*, in aerarium insertam pecuniam, quam illi, qui litigabant, et causa cadebant, in iudicio depositam, vt statutam multam soluebant, refert.

Seueritas haec prisca acui postea in cohibendis prouocationibus saltem locum venit, et l. 5. f. C. qu. adpellat. non recip. l. 6. §. 4. C. de adpell. et l. 10. C. Theod. de adpell. non recip. vt et PAVL. recept. Sentent. l. V. i. XXXIII. §. 1. 2. de cautionibus et poenis adpellantium, ad remedia suspensiuu allata, quam et lex Longob. L. II. Tit. XLI. §. IV. Lex Alem. Cap. XCIV. Ius Prov. Sax. L. II, art. XII. et Ord. Cam. Imp. P. III. l. 63. §. 7. seruauit, vt taceam legibus plurimorum territoriorum germanicorum in iudiciis, praecipue reuiforiis receptam, varieque temperatam. Quemadmodum vero iudicia inferiora, non nisi lege aut priuilegio permittente eiusmodi poenam pecuniariam exigere possunt, et verum est, quod GRATIANVS AVG. l. 41. C. Theod. de adpell. et consult. edixerat, Prouocantibus multas, nisi ex nostris decretis non patimur imponi, ita anceps doctrinae ciuilis argumentum visum est, quo successu remedium hoc medendo litigandi malo fuerit adhibitum. Quae igitur in vtramque partem adferri queant, modum nostri argumenti, quod in praesenti agendum est, excedit, et loco magis commodo seruabuntur. Instat enim Candidatus Nobilissimus, cuius causa haec sum praefatus,

Dn.

DN. IOANNES GOTTFRIED SIEBER vt natales et studiorum rationem, quam tenuit, succin-
 ctè recenseam. Natus est Lipsiae, anno huius sae-
 culi decimo quinto a. d. XVII. Kal. Mai. Pater ipsi DN.
 IO. GEORG. SIBERVS *haereditarius in Plausig*,
Vrbis Lipsiensis Aedilis, et Templi ad D. Ioannem
praefectus grauissimus, mater IOANNA MARGA-
RETHA, Gottfr. Heinii senatoris Francofurtani ad
Viadrum prudentissimi filia. Post studiorum tyrocini-
nia priuatis institutionibus posita, vltèrius formarunt
 nostrum HEBENSTREITH fratres, IO. CHRIS-
 TOPHORVS Superintendens Neostadiensis
 ad Orlam primum; dein IO. CHRISTIANVS,
S. Theol. D. & Hebraicae Linguae Professor Publ. Ce-
leberrimus. His praeceptoribus ita profecit, vt an-
 no XXXII. a Magnifico Rectore CHRISTIANO
 BOERNERO ciuitatis academicae iura impetraret.
 Inde MÜLLERO in omnem Philosophiam differenti
 adfuit; KAPPIVM humaniora studia publice et
 priuatim profitentem secutus est, eodemque duce
 de Xiccone Polentono publice disputauit; Antiqui-
 tates Rom. ex Tacito et Liuiο a CHRISTIO hau-
 sit; et MENZIO cum experimentis Physicam doce-
 ret, adfuit. In Iure priuato Scholas GEBAVERI,
 nunc Gottingensium Antecessoris, REICHELII et
 SCHOENII DD. adiit, et sub HOMMELIO disputa-
 tionibus se exercuit. Publicum Ius et Feuda a M A-
 SCOUIO, Historiam Regnorum à FEVSTELIO
 didicit. In forum prodire docuerunt nostrum se-
 cun-

VIII

cundum GRIBNERI Principia, et ad Ord. P.R.S.R. IO. FLORENS RIVINVS, et IO. ADAM LAVRENTIVS, quorum consiliis in omni studiorum decursu vsus est luculenter, et cum fructu. Inter haec iam anno XXXV. Inclytus Philosophorum Ordo primam lauream, et Anno seq. summos in Philosophia honores nostro bene merenti contulit, qui vt illos sibi rectius vindicaret, Anno XXXVII. dissertationem de Argentariis defendit praeses. His laudabiliter peractis et nostro Ordini suam probavit dexteritatem et scientiam, qui petentem modeste Iuris Candidatis adscripsit, iamque in eo est, vt examinibus etiam cum laude superatis summos in Vtroque Iure honores conferat. Proximo igitur Mercurii die hor. II. in Auditor. Ictorum publica lectione explicabit l. 3. C. de Vfur. die insequenti vero inaugurale specimen *de Argentariis eorumque in primis officii sine praeside tuebitur.* His peractis *Vir Consultissimus et Excellentissimus* IOHANNES FRIDERICVS HOECKNER *Iur. Nat. et Gent. Prof. et Ordinis Ictorum Assessor, vt et Supr. Cur. Provinc. et Consist. Lips. Aduocatus ac Com. Palat. Caesar.* a me rite substitutus promotorque designatus honores & priuilegia Doctorum nostrorum, qui extra numerum sunt, conferet. Vt ergo MAGNIFICVS ACADEMIAE RECTOR, ILLVSTRISSIMI COMITES, et quotquot Ordini nostro et nobilissimo Candidato fauent, adeste, Actuique splendorem addere velint, ea qua par est obseruantia ac humanitate contendo. Dab. Dom. Laetare cl^o MCCXXXIX.



ULB Halle
003 898 946


3



sb.







1739, 27.

PROCANCELLARIVS
CAROLVS OTTO RECHENBERG

SOLEMNIA

IN AVGVRALIA

CANDIDATI NOBILISSIMI

IOAN. GOTTFRIED SIEBERI

DIE XII. MART.

CELEBRANDA

INDICIT.